TRES PSALMI LATINIS TRANSLATI CARMINIBUS A FRANCISCO...

Francesco Filippi

IN FAUSTISSIMAS NUPTIAS

JOSEPHI ZANNINII

ET

ALOYSIAE BUCCHIAE

TRES PSALMI

LATINIS TRANSLATI CARMINIBUS

A

FRANCISCO PHILIPPIO

VICETINO

—

VENETIIS

TYPIS ALOYSIOPOLITANIS

MDCCCXLVII.

JOSEPHO DOCTORI ZANNINIO

JUVENI PEREGREGIO, AMICO CANDIDISSIMO

FRANCISCUS PHILIPPIUS

P. S. D.

Etsi nuperrime tantum de tuo faustissimo connubio ad me gravissimis districtum studiis allatum sit, tamen hunc tam laetum diem tacitus praeterire nullo modo possum. De familia Zanninia agitur, cui praeter alia plurima, vitam ipsam debeo. Accipe igitur, Joseph dilectissime, tres hos Psalmos, a me latinitate donatos; eosque boni consule in die desponsationis tuae, in die laetitiae cordis tui. Vale.

PSALMUS LXXI.

ELEGIA.

Hic Rex, hic Regis germen: tu providus olli
   Suffice judicium, justitiamque, Deus;
Legibus ut valeat populum moderarier aequis;
   Pauperibus veniat mitis ut ille tuis.
Sic laeti hi montes gaudebunt munere pacis;
   Sic laeti hi colles munere justitiae.
Non hic damna feret, quod dira calumnia fingit.
   Pauperis, et ditis vox resonabit idem.
Hic tuus usque timor, dum Sol, dum Luna manebunt,
   Abrami sobolem dum dabis esse super.
Hic venit, in vellus sicut qui depluit imber,
   Aut ros, qui arentem decidit in segetem.
Augescent animi justis, hoc sceptra tenente:
   Ejus gaudebunt nomine pacifici.
Proferet hic totum, video, sua jura per orbem,
   Et reget imperio solis utramque domum.

Mansuescent olli saevorum corda virorum:
  Et lingent hostes, quotquot ubique, solum.
Incipient Reges Tharsis dare munera, et omnis
  Insula, vicinis quam mare claudit aquis.
Illum Arabum Grandes myrrha venerantur, et auro:
  Illum thure colit terra sabaea suo.
Olli paulatim totus se subjicit orbis:
  Non se gens suavi subtrahit ulla jugo.
Non sinet ille imis fastum saevire Potentum,
  Non eis, qui omnigena destituuntur ope.
Pauperis, atque inopis sortem relevabit acerbam:
  Horum animas cunctis eripietque malis.
Non usura illos, non fraus captabit iniqua:
  Illorum sanguis ei pretiosus erit.
Affluet ille opibus; sapiens erit usus earum.
  Regnabit populi laetus amore sui.
Proque illo assidue fient pia vota; nec ejus
  Tot benefacta ulla non celebranda die.
Terra ferax triticum gignet memorabile; et ipsis
  Increscet celsis montibus alma seges;
Quam Zephyri motans dulcem dabit aura sonorem,
  Ut cedris Libani quum movet illa comas.
Quid loquar, ut crebris florebunt civibus urbes,
  Irrigua ut laeto gramine floret humus?

Illius nomen memori nunquam excidet aevo,
  Dum sol auctiferum mittet ab axe jubar.
Hunc propter venient felicia saecula terris,
  Hinc erit, ut cunctis magnus in ore sonet.
Laus Domino Isacidum; solus facit omnia mira.
  Illius excelsum stat sine morte decus.
Illius et totum complebit gloria mundum.
  Sint rata, summe Deus, numine cuncta tuo.

PSALMUS LXXV.

ELEGIA.

In terris Judae notus Deus: illius altum
Hebraeis nomen personat in populis.
Arcibus in solymae sedem sibi legit; et olli
Grata venit Sion usque habitanda domus.
Hinc scutum fregit, gladiumque, et missile ferrum;
Delevit forti barbara bella manu.
Lux tua nos mire radiat de montibus illis,
Heu qui captivos nos habuere diu.
Qui nuper poterant tantum intentare malorum,
Ornarunt spoliis nostra tropaea suis.
Somno sunt capti; nec, quum res posceret arma,
Invenit propriae hostica turba manus.
Spiritus ista tuus fecit, Deus optime; ab illo
Sopita est currûm vis, equitumque simul.
Es tu terribilis: quis contra obsistere praesens,
Quum magno fervens ira furore tua est?

Judicium sonuit caeli de culmine: Tellus
  Audiit, ingenti contremuitque metu,
Astitit ut Dominus vindex, hostisque superbi
  Isacidas mites solvit ab imperio.
Ipsae, ipsae irae hominum tua sunt praeconia; nosque
  Relliquiae illarum psallimus ecce tibi.
Suscipite o Domino, Solymaei, et reddite vota.
  Illi, qui prope sunt, debita dona ferant,
Terribili, ducibus valuit qui demere mentem,
  Terribili, et Reges qui dedit esse nihil.

PSALMUS CIII.

CARMEN TROCHAICUM.

Eja, mens, da praepotenti Numini, da canticum.
Omnipollens o micantis Rex olympi, quantus es!
Quantus es! tuae quis ausit facta dextrae farier?
Gloriae Regi, et decoris lumen est vestis tibi.
Ipse caelum condidisti more tentori super;
Illiusque summa lymphis contegis cacumina.
Ipse gaudes in citatis ire velox nubibus,
Ire gaudes et fragosi vectus ala turbinis.
Tu ministros Angelorum mille mittis millia:
Sunt procella, flamma et urens, caeco et aura spiritu.
Terra, per te structa, certo nititur fundamine;
Stabit aeternos in annos. Obruebant primitus
Unda totam vestis instar, ipsa condens culmina.
Increpante te, recessit; te tonante, territa est.
Ecce montes, ecce campi, ecce valles subditae;
Cuncta sedes, quas pararas, ordinata perprimunt.

Æquoris fluctum tumentis certa fraenant littora,
Ne reversus, quae reliquit, arva rursus occupet.
Ipse fontes in reductis hic et illic vallibus,
Lucidis manare lymphis, ipse mandasti vaga
Montium imis de cavernis prosilire flumina;
Inde campi mansuetum sedet ut sitim pecus;
Inde saeva potet ipsa sylvicultrix bellua.
Propter ipsa stant volucres, inter umbras arborum
Usque circum delicatis arva mulcentes modis.
Alta montium supernis irrigas e sedibus:
Laeta diae dona destrae tota tellus accipit.
Ipsa jumentis dat herbas; ipsa messes educat,
Nostra vita queis alatur; corda vinum perciat;
Ora olivo delibuta laetiora rideant;
Omne corpus facta cunctis panis esca roboret.
Ligna campi nutrit humor, humor, altas Libani
Subjicit cedros, ab aevo jam comantes plurimo.
His volucres ova credunt: abies alta milvio
Grata sedes: celsa cervi montium incolunt juga;
Fossa tutos et recessus antra dant cuniculis.
Luna crescens, et senescens signat anni tempora:
Surgit almus sol, caditque; novit hinc horas dies.
Stare jûsti tu tenebras jussa venit atra nox.
Arva circum belluarum saeva cursant agmina.

Arva late rex ferarum rictu hiante circumit;
Quaerit escas; et frementis retonant cuncta murmure.
Rursus ecce sol; et omnes redeunt in cubilia.
Dant locum humanis; opusque quisque sudat debitum,
Dum revertens vesperugo noctis ignes efferat.
Quanta cernitur, creator, vis tuae scientiae!
Cunta magna, cuncta mira, cunta scite facta sunt.
Tota tellus est tuorum plena ubique munerum.
Hoc mare immensas in oras longa porgit brachia:
Per profunda multiforme piscium natat genus;
Monstra magna mixta parvis. Merce dites extera,
Mille substratas per undas vela solventes rates,
Afferunt opes, beandis faustitatem gentibus.
Quicquid usquam vivit, aptam te, Deus, rogat dapem.
Dante te sumit, tuaque largiente dextera:
Cuncta terrae, cuncta ponti, cuncta caeli animalia,
Laeta vivunt, laeta prolem quaeque procudunt suam.
Ora condis ipse? Eodem cuncta turbant tempore.
Spiritum aufers ipse ab ollis? Est super nil, ni cinis.
Spiritum tuum remittis? Recreantur omnia;
Tota tellus et novata facie rursus eviget.
Omne in aevum sit perennis laus decora Numinis.
Numen ipsum cuncta diae facta dextrae concinant.
Quo tuente terra quasso contremit fundamine.

Cujus attactu, ut liquescens cera, montes diffluunt.
Ipse Numen usque gratus laude tollam perpeti;
Dum supersit vita, dicam Numini carmen meo.
Thuris instar late olentis accidat thronum Dei
Nostra laus: mihi ille causa, fons et unus gaudii.
Qui Deum laedunt, protervae mentis hos perdat nefas.
Nulla iniquûm, nulla prorsus sint super vestigia.
Eja, mens, da praepotenti Numini, da canticum.